

14k  
AUSPICE JEHOVA!  
DISPUTATIONEM

De  
LUNA

PHYSICAM,

Ex indulgentia AMPL. FACULT. PHIL.  
In Reg. Acad. Aboënsi.

Sub PRÆSIDIO

*Viri Celeberrimi*

DN. PETRI HAHN,

Scient. Natur. Profess. Ordinarii,  
& Biblioth. Reg. Præceptoris & Promot.  
quovis officio æternum suspiciendū,

*publico honorum examini nudesse  
submittit*

CAROLUS ERZNOU  
Nylandus.

*In Auditorio Majori*  
die 10 Maji, Anni 1702.

---

Impr. apud Jo. WAL.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

SUMMÆ FIDEI VIRO,  
In CHRISTO Patri  
&  
Domino Reverendissimo

DN. JOHANNI  
GEZELIO,

S. Theologiæ DOCTORI  
Consummatissimo.

Illustris Aboënsis Diœcesios  
EPISCOPO Eminentissimo,  
Regiæ ibid: Academiæ  
PRO-CANCELLARIO Per-  
Magnifico.

Consistorii Eccles: PRÆSIDI  
Gravissimo.

DOMINO & PATRONO  
suo Summo

PACEM & OMNIGENAM  
FELICITATEM!



um exemplorum multitudo animo meo injungat, & infelicem haud raro exitum manere audaces, neque tamen semper prospero eventu eosdem destitui, aliter esse non potest, quin inter metum & fiduciam verfer, dum aditum ad REVERENDISS. PATREM exilibus hisce pagellis humillime affectare audeo: quippe quæ audaciam meam duplici nomine prodit; siquidem REVEREND: PATER: VESTRAM excubiis & laboribus progrege Christi intentam, interpellant & REVER: VESTRÆ PATERNITATIS nomen sibi indignis præfigi amant: Verum insignis REVEREND: PATERN: fama ex favore in Clientulos resultans, me illorum infimum provocat, atque tantum fiduciæ subministrat, ut exilem ingenii fœtum, cujus tenuitatis interpretes existit

stitit calamus, ad pedes REVEREND: PATRIS: deponere non dubitem. Itaque etiam non vereor humilima voce precari, ne benignus REVER: PAT: aspectus, hoc cogitationum mearum specimen utut simplex, refugiat, neve me indigentem & æquitate fortunæ non semper gaudentem, Patrocinium & tutamen deficiat: quoniam autem tanto REVER: VEST. PATER: beneficio, digne celebrando, imparem me agnosco, ideo Altissimum Numen calidis suspiriis assiduè veneror, ut REY: PAT: divini tui nominis gloriæ, Ecclesiæ Christianæ insigni incremento, Misarum indigentium fulcimini, quam diutissime superesse sinat! Quod secundum animum opto, dum vivo.

REVERENDISS: VESTRÆ PATER-  
NITATIS

*Humilimus cliens*

Carol. Erling.

*Summe. Reverendo atque Amplissimo*

DOMINO,

DN. DAVIDI Lund/  
S, Theol. LICENTIATO & PROFESSORI

longè Celeberrimo, utriusq; Consist:

ADSESSORI Gravissimo, Eccles: Abo-  
ënsis Svecanæ & Numënsis PASTORI

Meritissimo, & Fidelissimo, Præce-  
ptori & Promotori suo, pia men-

tis veneratione æternum

prosequendo.

**Z**Euxis arguto calamo negabo  
Posse depingi rutilans hoc ævi  
Sidus, & Sacro resonans lepore:  
Nomen ad Auram

Tiphys O, quique Automedon mearum  
Usque Musarum fueras. Rependat

Ipte, qui vires Tibi fert juvandi  
Rector Olympi

MAX. REVER. VESTRÆ AMPL.

*devotissimus Cultor*

Carol. Erling.

*Speſtatiffimo & Prudentiffimo Viro*

**DN. ERICO ERZNO**  
Vestigalis Maritimi in Hangdudd hactenus Præfecto accuratiffimo, Parenti suo ut in ultima ætate jam constituto ita indulgentiffimo, quovis filiali cultu æternum venerando.

*Speſtate Virtutis & Fidei*

**DN. LAURENTIO ERZNO**  
Dicti Vestigalis Telonario fideliffimo Fratri suo Germano, ut benefico, ita plurimum honorando.

**T**uam hactenus, Carissime Parens habitam adolescentie mee curam, si silentio involverem, DEO fastidiosus, Tibi impie atque mei officii debiti immemor viderer; Quoniam ipse, Parens Optime, vite autor vitæque instructor fuisti, fidelis in literis Præceptor atque Præceptorum fidelium Nutritius extitisti, donec tibi, me Societati Academica devovere placuit. Ex quo tempore, auxiliatrices manus non omnino desideravi, cum hac autem insufficienti beneficiorum commemoratione gratitudi-

*Reverendo & Doctissimo*

DN. CHRIST. PACCHALENIO,  
Ecclesiæ Tenalensis Sacellano meritif-  
simo, Nutritio suo benignissimo, Fau-  
tori debita reverentia  
colendo.

*Pietate & morum venustate integerrimo*

DN. ERICO ERICI ERSSONI  
Arendatori perindustrio, fratri suo  
perdilecto.

*tudinem conjungo, beneficia scilicet tua, Cariss:  
Parens, filiali pietate agnoscere & agnita lau-  
dare atque illorum magnitudinem in propatulo  
exponere, gestio: Cum vero pro temporis & fa-  
cultatum ratione digne illa rependere nequeam,  
quæ Parentis & Præceptoris merita postulant,  
retributor sufficiens supremum erit Numen. Ego  
verò nè ingratitudinis arguar, tenellas has  
ingenii primitias offero, quas boni consulere &  
testem grati animi reputare velis, simulque  
filium Te post DEUM colentem favore consue-  
to jugiter amplectaris, obnixè rogo. In-*

*Insuper Rever: Dn. Nutritie, tua in me largiter collata beneficia, quibus per trium annorum decursum, intra tecti: privata affectus sum, profixe recensere mihi incumberet, nisi angustia temporis & pagella, promittitudinem animi impediret. Nibilo minus Tibi DN. Nutr: fidem do & Vobis Fratres perdilecti, mea officia pro meritis fore paratissima. Interim in debiti obsequii pignus, hacce studiorum primordia modeste vobis dedico, orans, ne eorumdem tenuitatem expendatis. Ego vicissim ad DEUM calida mittam vota, pro Te, Parens Carissime, jam admodum sene, seniumque concomitantibus morbis diu (proh dolor) pressi, de virium animi & corporis nova restitutione, simulq; temporalis & eternae benedictione, cujus & vos cæteri benefactores participes fiat! animitus vovet, qui ad extrema usque fata manebit.*

*Carissimi DN. Patris*

*nec non*

*Reverend. DN. Nutr:*

*&*

*Dilect. Dominor. Fratrum.*

*Filius obsequentiissimus & ad quævis officia paratissimus*

*C. E.*



*Nobilissimo & Consultissimo Domino*

DN. DANIELI Starman/  
Fodinarum metallicarū per Finlandiam  
Judici æquissimo, Domino & Mæcenati  
suo propensissimo.

*Nobilitate & longa militia nauticæ expe-  
rientia Percelebri Viro,*

DN. JOHANNI Kørning/  
In Regia Classe locum Capitanei tenenti,  
ut Affini optimo, ita Benefactori tuo  
quovis honore colendo.

**N**OMINIBUS VESTRIS: EVERGETÆ MAGNI  
*Academicum hocce exercitium dicere me  
jubent innumera beneficia quibus à vobis  
off. Etus sum; idque eo animo & consilio à me  
factum est, ut gratam eorum memoriam &  
alerem & testatorem facerem: Quod quis di-  
gniori premio destitutor, intuitu benevolo di-  
gnari mequè Nobilit. Vest: observatorem vestro  
favore jugiter beare velitis, perofficiose rogo,  
qui pro salute vestra DEUM T. O: M: assiduis  
precibus sollicitabo, mansurus ad vitalis vin-  
culi dissolutionem.*

VEST: NOBILIT:

Observantissimus  
Auct. & Resp.

*Insuper Rever: Dn. Nutritie, tua in me largiter collata beneficia, quibus per trium annorum decursum, intra tecta privata affectus sum, prolixè recensere mihi incumberet, nisi angustia temporis & pagellæ, promittitudinem animi impediret. Nihilominus Tibi DN. Nutr: fidem do & vobis Fratres perdilecti, mea officia pro meritis fore paratissima. Interim in debiti obsequii pignus, hæc studiorum primordia modeste vobis dedico, orans, ne eorundem tenuitatem expendatis. Ego vicissim ad DEUM calida mittam vota, pro Te, Parens Carissime, jam admodum senè, seniumque concomitantibus morbis diu (proh dolor) presso, de virium animi & corporis nova restitutione, simulque temporali & æterna benedictione, cujus & vos cæteri benefactores participes fiat! animitus vovet, qui ad extrema usque fata manebit.*

Carissimi DN. Patris

*nec non*

Reverend. DN. Nutr:

*&*

Dilect. Dominor. Fratrum.

*Filius obsequentissimus & ad quævis officia paratissimus*

C. E.

Auctori Dissertationis hujus elegantis & eruditæ

PRÆSTANTISSIMO ac MODESTISSIMO,

DN. CAROLO

ÆΚΛΥΝΟΙ

Amico & Conterraneo suo per-  
dilecto,

Difficultates Musarum pertinaciter  
& feliciter eluctanti,

**Τ**ῆνομά σοι ἩΡΑΙΩΤ' ΜΕΘ ΒΕΛΛΙΣ' ἔΣΙ·  
ἘΤΑΪΡΕ,

ΚΥΔΕΟΣ ὀν ᾠδᾶ. ΤΟΪΣΙ ΝΟΟΙΣΙ ΠΕΛΩΖΕΟ :

ΚΥΔΩ

Ἐσπείαι ἰνύλικα σοι μόχθον τῆτον πο-  
νέονη.

Δῶρα δ' ὅμοια εἰς γνώμας τε πόνους  
τε δίδοιη!

Hoc schediasmate L. Μή.  
accinebat

DAVID RUND.

Ad Juvenem,  
*singulari modestia & doctrina  
conspicuum,*

DN. CAROLUM  
EXZINGI

Philosophiæ Studiosum soler-  
tissimum,

De LUNA ἀκρῶς differentem,  
Προσφώνησις:

**C**rescit, decrescit, nativo lumi-  
ne casta  
Cynthia, & instabilem currit in  
orbe viam,  
Decrescat nunquam, sed crescat  
laus tua semper!  
Decursus vitæ sit stabilisque  
precor!

ἀκρῶς

LAUR: TAMMELIN.

## PROOEMIUM.

**F**ruditorum dogmata accurata mentis meditatione pervolvendi multa occurrunt, quae ingenium ad sublimiora studia non maturum informant, informandoque ignorantiae fuliginem dispellunt. Id ipse expertus sum, ubi manum operi huic arduo admoturus, anxius de formula praefationis diu cogitavi. donec monitum Socratis ad Discipulos, Philosophi sui seculi haud infimi, mihi in memoriam incidit, quo illos ad speculum amandatos, formae elegantiam, vel morum decore confirmandam, vel deformitatis noxam virtutum fulgore penitus expungendam, contemplari iussit. Verum sapientissimus hujus universi Opifex DEUS, ad speculum mundi mortales remittit, in quo  $\text{\&}$  sapientiam  $\text{\&}$  potentiam, cujus magnitudinem nemo hominum satis admirari potest, cum ex terrestribus, tum caelestibus rebus elucet, in quo Majestatis  $\text{\&}$  gloriae effigiem expressit, qua mentem humanam, post lamentabilem integritatis jacturam, inertem, ad laudes suas invitabit, ut rerum in mundo existentium ordinationem  $\text{\&}$  nexum, quo velut mutuo coherent,

contemplati, bonitatem Creatoris pervolverent, assidua & suavissima voce decantarent, gratesque pro ipsarum die nocteque praestito sibi ministerio humilimas deferrent. Hanc divinam in opere divino sapientiam celebrandam nobis inculcat DEI Spiritus, ubi per Psalterium Regium haec profert verba: *Psal. 19.* Caeli enarrant gloriam DEI & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. *& Psal. 8.* Jehova Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra, quoniam elevata est magnificentia tua super Caelos, Quoniam videbo Caelos tuos opera digitorum tuorum, Lunam & stellas, quas tu fundasti merito, cui filius succinit intelligentia Caelos statuisti. Hoc est, insigne sapientiae tuae specimen in eorum fabrica edidisti. Ingens equidem admiratio, imo & veneratio, animos nostros toties cum Divis Patribus non potest non subire, quoties opera manuum DEI menti subjicimus, qua nobis sapientiam Opificis in speculo representant, bonitatem communicant atque nos ad laudes ejus sempiternas, qui cuncta nobis largitus est, revocant; Nam si terram, quam pedibus sal-

eamus, intueamur; quot gemmas, lapides &  
 metalla in visceribus recondit suis? quot in suo  
 gremio varia viventium genera fovit? si ae-  
 rem, qui circa nos, qui innumerarum avium  
 suadibus resonat cantilenis. Si denique cœ-  
 lum, quod supra nos est, aspiciamus, ardentibus  
 & pendulus ornatur facibus, quarum beneficio,  
 dies noctem, nox diem, æstas hyemem & hy-  
 ems æstatem, frigus calorem & calor frigus,  
 perpetua & inconcussa natura lege alternis ex-  
 cipiat vicibus. Tam stupenda DEI opera, tam-  
 que stupende operis vires ubique prostant, ut  
 vel nos invito in admirationem sui arripi-  
 ant, cum itaque DEUS, tam in libro scripture,  
 quã natura, præcipiat, ut mens hominis celesti-  
 um corporũ contemplatione sit occupata, aliquid  
 conceptuum de Luna, ingenii vires ut ut exiles  
 periclitaturus, in lucem publicam producere con-  
 stitui, & licet sublimitate sua omnem ingenii  
 aciem longe superet, tamen Eruditorum vesti-  
 gia secutus, illius naturam, affectiones & ef-  
 fectus levi scrutinio expendendo, immensam Al-  
 tissimi Sapientiam & potentiam agnoscere di-  
 sco. Interim supremũ Numen precibus sollicito,  
 ut instituto faciles successus largiri dignetur.

# CAPUT I.

## §. I.



**N**e justò diutius in limine o-  
 peris suscepti hærere vide-  
 amur, Vocẽ præsentì Ma-  
 teriæ præfixam, sub exa-  
 men statim revocare præ-  
 stat; quæ, licet non multis  
 irretita sit difficultatibus, ratione tamen  
 instituti id ipsum postulante & regula  
 Eruditorum demonstrante, eam enucle-  
 are conabimur. Volunt quidam Lunam  
 Natales debere vocabulo lucere, quod  
 solâ nocte lucem nobis subministret,  
 Græci Σελήνην à jubare & splendore  
 derivant; item à λῶω, lavare, purgare,  
 descendere dicunt, quandoque humo-  
 res purgat, ut habet Plin: lib. 2. cap. 98.  
 Hinc nonnulli vocem hanc à latino idi-  
 omate deducunt, quo humectando la-  
 vat, respiciunt namque naturam Lunæ,  
 quæ est Planeta nimis humidus, humo-  
 remque in plantis & animantibus ple-  
 no circulo refulgens, adauget. Quod &  
 ipsa experientia probat, de fœtu quovis  
 in



in novilunio progenito, qui longè imbecillior est partu in plenilunio edito; nam vis calidi innati, in infantib<sup>9</sup> nuper natis, major est humido radicali, quæ principia sunt conservativa vitæ, dum eundem servant gradū; Verum in novilunio prævalet calidum innatum, ubi Luna influxum suum in infantes non ritè derivat, & humores fœcundiores reddit. Ob id etiam infantes ab lactari in plenilunio à nutricibus solent, quia tum copiosioribus gaudentes humoribus, materno lacte carere possunt. Sed ad rem revertar. Licet jam adhibitæ derivationes suo polleant valore, Hebræis tamen illa, pro genuina agnoscitur, quæ à radice נל pernoctare & divertere deducitur; siquidem DEUS Lunam moderatricem Noctis constituit, ceu voces: הלילה למשלל ut præesset nocti: propriè innuunt; Græcis placuit μήνη à מנה numerare, quia cursu veloci successivè menses efficit, illorumq; numerandorum est mensura, nobisq; fluxum temporis indicat. Quo nomine Lunam etiam cir-

6  
culum manaticum Veteres appellarunt. Unde Arabibus Kalendarium Almanach audit, quæ vox apud nos hodie retinetur, & originem suam trahit à rad: Hebr. & Arab. *كالم*. Erymon hoc hebræum, prout à summo Auctore Physico Lunæ imponitur, ita de communi saniorum consensu, nobis maximè arridet. Vernacula nostra lingua *Mâne* vocitatur, cujus vocis diurnam usurpationem testatur Celsus in Comp. Eccles. c. 7.

## §. II.

**M**ultiplicem nominis impositionem, ob variam luminis mutationem, agnoscit Luna, quippe quæ, modo plena, modo semiplena, modo prætumida, modo in cornua curvata, apparens, complures adspectatores in admirationem sui rapuit: Hinc veteres illam pro Dea habuerunt, & Noctiluæ nomine in colle Palatino co'uerunt. Teste Varrone lib. IV. Græci ipsi solemnī religione Tempa ædificârunt, & victimas obtulerunt. Athenienses singulis mensibus in novijunio

lunio ei sacrificabant, ubi ditiores egen-  
tibus cœnam parârunt, quam vocârunt  
Hecaten. Olim quoque Luna Præses bel-  
lorum putabatur, unde quoque victo-  
res arma captivis detracta, in venera-  
tionem Lunæ cremarunt: ob id etiam  
nullum deliquium sine castrorû tumultu  
passa est. Virgilio *Tergemina Dea* dicitur,  
quæ nomine triplici, Dianæ, Proserpinæ  
& Lunæ, colitur, vel ob triplicem faciem,  
quâ communiter nobis conspiciendam  
se præbet, ut ex antecedentibus patet,  
vel fortè quod Triviis præesse putare-  
tur, ubi & ei sacrificabant; hinc Virg.  
lib. 4. *Æneid. Tergeminamque Hecaten, tria*  
*Virginis ora Diana.* Cur Lucinam ap-  
pellarunt, confirmat Virgilius *Eclog. 4.*  
hoc versu:

*Casta fave Lucina, tuus jam regnat Apollo.*  
Euripides in *Phœnissis*, eam *solis filiam*  
vocat, dicens: ὦ θυγάτηρ ἡλίου σελάννα: eo  
forte nomine salutata, quod solis lumine  
illustretur. Poëtæ enim eam *sororem Phœbi*  
appellant vid. Ovid. *Metam. 5.* de Dia-  
næ in Felem mutatione. Ut reliqua no-  
mi-

mina, à locis ubi colebatur, desumpta, silentio premam. Dicitur etiam ab insula Delo, *Delia*, & ab ejus monte Cyntho, *Cynthia*. Æquivocatio hujus vocis ut fere nulla, nullam nobis hic efficit moram; *συνουσία* considerata, *νυκτίς* humorumque *Dominia*, item *Planetarum infimus*, audire solet.

## CAPUT II.

### §. I.

**I**nter tot Eruditorum diversas, quæ de Corpore Lunari foventur, opiniones, mihi idipsum descripturo, arctiores ingenii vires videntur, quam ut sufficienti scrutinio veritatem rei investigare queant. Nihilominus ab instituto haud alienum ducimus, si priusquam pedem ad ipsam definitionem realem promovemus, *Causa* perpendatur, qua Philosophi, non sine honoris titulo nominandi, in divortia sententiarum adducti sunt, Hanc equidem ipsis præbuit lucis & tenebrarum vicissitudo in corpore hoc sidereo admiranda, quo modo lucidum, modo

modo obscurum, visu observarunt; quæ coloris varietas opinionem, videlicet, substantiam Lunæ a reliquis stellis fixis alienam esse, genuit. De Luna Franciscus Patricius colligit: *illam neque luce, neque radiatione, neque scintillatione neque lumine, neque colore cum aliis convenire.* Ab illo quoque Philosophi allegantur, qui Planetam hunc esse terram quandã, non modo imaginati sunt, verum pro certo firmoque habuerunt. Hujus monstrosæ sententiæ fuerunt nonnulli alii, qui in hoc fidere habitatores, animantia bruta, nostra quindecies magnitudine superantia & plantas nostrates longè pulcritudine excedentes asserunt. Verum ejusmodi opiniones argumentis innixæ infirmis, in sacram impingunt paginam, quæ non nisi unam ê Deo Terram elementarem conditam esse expresse comprobatur. Jam verò promissi memores, Lunæ Definitionem codici sacro congruam adhibemus talem: *Luna est corpus sidereum ex luce primigenia, quarta die creationis à summo Opifice productum, lucidum,*

globoſum, perpetuo mobile, ut anni tempora  
 in Conditoris laudem & inferiorum ſalutem  
 diſtingueret. In datæ definitionis evo-  
 lutione ſecundum regulam Logicorū,  
 Genus & differentia nobis penſanda  
 veniunt, illud præſentis materiæ Eſſen-  
 tiam remotè, hæc proximè, examinan-  
 dam nobis exhibet.

## §. II.

Genus definitionis conſtituitur Cor-  
 pus ſidereum, quod inter partes hu-  
 jus mundi præcipuas collocatur; jam  
 ſingulæ Mundi partes, ſeu omnia cor-  
 pora à DEO T. O. M. creata in triplici  
 differentia nobis ſecundum nutum ſani-  
 orum Philoſophorum ſiſtuntur, & ſunt  
 vel lucida, vel diaphana, vel opaca, quæ  
 vel lucem ex ſe emittunt, vel in ſe  
 tranſmittunt, vel extra ſe remittunt.  
 Nobis cum ſermo ſit de corporibus cœ-  
 leſtibus è claſſe prænominatorum cor-  
 porum excludere illa minus fas eſt, ſi-  
 quidem ſol & ſtellæ fixæ in numero cor-  
 porum lucidorum ab omnibus Phyiſicis  
 col-

collocentur. Verum de Planetis seu stellis erraticis, ob motum sic dictis, quem cum fixis non habent communem, ambigunt per plurimi, qui à dictamine Scripturæ S. recedere volunt, colligendo illos esse corpora opaca ex phasibus, quas subinde mutant, quam assertionem Petrus Gassendus de varietate & magnit. siderum beneficio telescopii investigando roborat; nec desunt Philosophi, qui in eandem cum ipso eunt sententiam, simulac varietate opinionum, quas supra hanc rem fovent, quemlibet in admirationem trahunt, quarum recensio non minus prolixa, quam fastidiosa nobis foret. Nos autem, dicimus: Lunam esse Corpus lucidum, cujus duo sunt requisita, 1. ut ipsi Lux tanquam qualitas inhæreat 2. ut densitate gaudeat: priore à corporibus opacis sublunaribus differt, quæ non tam luce propria, quam lumine solis mutuatitio illuminat: Posteriori, à reliquis Cœli, præter stellas, partibus, quæ non sunt lucidæ, discernitur; Est itaque Luna corpus lucidum, quia

in se lucem habet, & partes ejus sunt condensatæ & compactæ, ut lumen ex se emittant, quod maximè à sole mutuaturum habet, & dicitur lumen emitti, quippe quod est quasi repræsentatio lucis, in corpore perspicuo se diffundens. Lux autem est qualitas permanens, extra suum subiectum nunquam existens, est tamen causa tum luminis, tum radiorum, & habet suam sedem lux in Luna, & cæteris astris, non autem lumen & radii, a quibus aër illuminatus est.

### §. III.

Postulante methodi receptæ ratione, e vestigio differentiam apponimus, quæ licet in data definitione operosam requirit causarum perlustrationem, tamen ut sententiæ nostræ de corpore lunari modo allatæ plus lucis fœneremur, considerationi materiæ Lunæ solummodò intenti, reliquas causas præterimus; hanc cum orthodoxis Theologis lucem primigeniam facimus, quæ Luna cum cæteris stellis communem



materiam agnoscit, Quæque, dictitante nobis Sacrà paginâ, opus creationis primi diei fuit, adeoque terminus creationis, qui è numero accidentium exultat; Si jam substantia erat, utique & incorruptibilis permanfit. Et licet primi diei opus imperfectum fuisse intelligitur, perfectionem tamen accepisse nobis constat; Nam una die, quod DEUS condidit, altera non destruxit, sed debitâ perfectione firmavit; & quoniam statuimus substantiam illam lucidam esse materiam astrorum proximam, quam DEUS in diei & noctis discrimen condidit, illius etiam existentiam probare nobis ulterius incumbit, dicendo: Substantiam hanc lucidam non esse destruetam, quia bona fuit, id testatur Spiritus ipse DEI his verbis: *Quæcumque Deus fecit, bona fuerunt.* Gen. I. iis què mediantibus, totum hoc uniuersum tandem constituit. Lux ergò primigenia, ita dicta, quia erat materia ex quâ postmodû cæteras stellas DEUS creavit, non abolita est, sed conseruata, quæ quarto die ad corpora Cœ-

Cœlestia distributa est, ubi Moyses ait: *in Cœlo facta esse luminaria magna Solem & Lunam*, hanc ab illo non privatione, sed gradu tantum lucis distinctam. Ante quartum diem hanc lucem perfectam seu completam fuisse, veritati minimè consentaneum est, atque exinde probari potest; nam multa alia opera primi diei imperfecta erant, utpote aqua terræ permixta, quæ tanquam imperfectum quoddam opus à DEO tandem distinguebatur, terra inanis & vacua ornabatur germinibus & animantibus variis, quâ distinctione & quo ornamento hæc creata opera non indignissent, nisi imperfecta fuissent. Verum quod lux hæc ad astra distributa sit, patet, quando fit recensio præcipuarum Mundi specierum: non ad Angelos referri potest, quia Materia fuit visibilis, at Angeli sunt Spiritus invisibiles & immateriales. Neque ad Elementa, quippe quæ non sunt ejusdem lucis naturæ; nam si ignis prætenderetur elementaris, in eo differret hic ab illâ, quod Ignis lux non

eodem modo luceat, nec diem à nocte  
 discriminet: neque relatio ulla ad plan-  
 tas, metalla aut animantia, donec le-  
 gem naturæ sequuntur, fieri potest.  
 Ergò ad stellas, quæ corpora lucida  
 sunt, referenda est; Concludimus itaq;  
 hâc, DEUM pro sapientissimo suo consi-  
 lio & omnipotentia laude, tanquam  
 materiâ ad corporum Cœlestium pro-  
 ductionem postmodum usum fuisse.  
 Delirant nonnulli, qui lucem illam pri-  
 mo die conditam, à corpore luminoso  
 distinguunt & per illam, simplicem in-  
 telligunt qualitatem, quæ in Sole, Lu-  
 na & reliquis stellis, tanquam vasis col-  
 lecta est, ideo quod sacra pagina opus  
 primi diei lucem appellat, quarti au-  
 tem luminare; cum lux eorum, non à  
 luminoso corpore, sed à luminari distin-  
 guatur. Insuper hac ratione suffulti,  
 conantur evincere, lucem hanc simpli-  
 cem sibi que relictam qualitatem fuisse,  
 non verò substantiam lucidam, quod  
 diem, illam DEUS v. 4. appellet: ubi di-  
 scrimen inter Causam & effectum non  
 ob-

observant. Cæterum omissis de re ardua  
 prolaxis litibus, cum hisce constet, nos  
 Lunæ æque ac cæteris stellis lumen  
 innatum attribuisse auctos, fusius de hoc,  
 nec non mutatio nosmet agere oportet.

#### §. IV.

**D**e Existentia nativæ lucis, quam cum  
 summæ dignitatis Theologis, tum  
 Physicis Lunæ adsignavimus, acriter  
 concertant Eruditi, qui corpus lunare  
 opacum faciunt, atque ex Elementis  
 quatuor compositum, quæ sententia suis  
 suffulta rationibus, nisi contrariaretur  
 Verbo DEI & certis indiciis, quibus hæc  
 nativa lux Lunæ inesse colligitur, à no-  
 bis planè non rejiceretur. Et licet ne-  
 mo saniorum Philosophorum sit, qui  
 totum hoc lumen, quantumcunque est,  
 Lunæ tanquam proprium & congeni-  
 tum adscribat, propter ejus incremen-  
 tum & decrementum, Phasiumque  
 vicissitudinẽ, quâ modo plena, modo dimi-  
 diata, modo falcata, apparet, nos tamen,  
 nutum Theologorũ lecuti, aliquid lucis

innatæ ipsi tribuere audemus, stabilien-  
do hanc assertionem documentis, tam ex  
S. Scriptura, quam deliquio Lunæ, pe-  
titis: in antecedentibus diximus: DEUM,  
Lucem, primi diei opus, omnibus stellis  
quarto die proportionate impressisse; i-  
taque jam, DEUM Lunam immediate  
creasse negamus, cum Scriptura Sacra  
lucem faciat materiam simul s. causam  
& effectum illius לְאוֹרֵי, quod hic quin-  
quies non nisi de astro e. g. Sole,  
Luna, &c. ut videre est Psal. 74. v. 16.  
idem ipsum testatur Theodoretus  
Quæst. in Gen. p. 4. Dominus DEUS  
tum ex his, quæ sunt creare solet. Nam  
cælum & Elementa ex nihilo fecit, &  
cætera corpora ex aliquo; itaque non  
absq; materiâ Luna creata est, sed ex sub-  
stantia illa lucida, quæ ante stella-  
rum creationem, in superficie abyssi,  
tanquam in medio diaphano, divinitus  
accensa, miraculosè sparsa & termi-  
nata, molem illam primigeniam cum  
abyssu tota, ante divisionem aquarum,

fecit illustrem, jubente Creatore Verbo, ceu Basilius hæc nobis dicitur. Hinc, ad dictamen Scripturæ dicimus; stellas quasi lychnos lucis primigeniæ, item sydera lucis. Ezech. 32. v. 8. Psal. 148. v. 3. unde patet, quod Luna non sit simpliciter opaca, omni luce penitus destituta; siquidem his locis mentionem stellarum in genere faciens, illam haud excipit, uti vel inde manifestum est, quod vocet illam luminare magnum, hoc est, corpus luminosum, in se lucidum & illuminandi habens actum, imo lumen primigenium intrinsecum, licet Sole minus. Adhæc Luna, cum Eclipsin patitur, hoc modo suam nativam prodit lucem: obscuratione infestata, quandoque nigra, interdum rufa, nonnunquam colore atro & rubido mixta, apparet, quod non contingeret, nisi proprio lumine gauderet, in apurum duxerunt Reinhold. in Schol: super Poss. Plan. Purb. Lib. 19. Pannos: quam colorū diversitatē nativæ lucis & umbræ terrenæ concursus atq; mixtio

ob oculos spectantium sistit. Porro nec mirum est, si Lunæ lux neque in novilunio, aut post illud, in illo gradu appareat secundum partem a sole averſam & nos respicientem, quam alias in plenilunio; siquidem interdum nimio solis splendore oculis subducitur, noctu verò, partes ejus non illuminatæ superantur illuminatarum fulgore. De stellis equidem cæteris non est dubium, quin omnes nativam habeant lucem, cujus demensum certum sortitæ sunt singulæ in creatione, quo aliæ pallido, aliæ livido, aliæ rubido, aliæ nitido, fulgore micant, prout Div. Paulus loquitur 1. Cor. 15. ex quo dicto etiam patet, Lunam habere claritatem, qua nativum fortè lumen immittit Spiritus Sanctus, quod in eclipsibus obscurius notatur, & juxta Lunæ corniculatæ cornua per reliquum corpus diffunditur, quamvis & hoc oppugnatores sententiæ, mutuatitium dicant, & in visum nostrum incidens, propter magnitudinem terræ, ejusque superfici-

ciei inæqualitatem, quâ Lunam superet. Verum hoc argumentum vacillat & titubat, cum radii solares ad imagines terræ, magis obliquè diffundi, quam reflectiones illorum discum Lunæ attingere possent, quod è situ terræ Soli è diametro objectæ collectu facile est,

§. V.

**E**T hæc de luce innatâ dicta sunt, jam ulterius pedem promoturis nobis considerandum venit Lumen mutuatitium, quo Lunam à Sole illuminatam cætera illuminare, omnes pleno ore affirmant. Illam, non minus quam reliqua astra, proprio lumine fulgere, hætenus asseverare conati sumus, quæ lucendi potentiâ, stellis fixis, præ Luna, ab ipso DEO in gradu superiori implantata est, adeo ut illarum lux semper vegetior omni quoque tempore notetur. Quarum è nativa luce prorumpens micatio, ex scintillatione colligitur, quæ exinde fit, quod earum lux purissima, visus a-  
ciem



ciem perstringat, atque pupillam seu foramen, per quod radii lucis subeunt oculum, contrahat; hinc motum illum tremulum scintillationis imprimit, adeo ut sol & stellæ fluctuare videantur. Pro ut stellis fixis peculiare est scintillare, ita præter Planetas lumen à sole mutuatum non recipiunt, nimiam propter distantiam, quæ inter solem & illas habetur. Et licet solis splendor, subjectum stellarum in quo, seu cælum totum illuminat, subjectum tamen quod seu corpus sidereum radios solares non recipit, sed in occurso ab utraque parte emanantis luminis solis radii cessant. Obiter notandum, quod lumen solis in infinitum se haud diffundit, etiamsi cælum sit corpus pellucidum & lumen transmittat; virtus namque solaris finita & aliarum stellarum, infinitum aliquod non producit. Sed ad propositum revertar: stellæ itaque fixæ, ob æqualitatem, quam in situ & progressu semper servant, sic dictæ, à Planetis distinguuntur

*Scintillatione, quæ nihil aliud est, nisi lumi-*

*siderei, à nobis remotissimi apparet tremor:*  
 Interim nos non fugit, superiores Planetas, ut Saturnum & Jovem, quandoque scintillare visos, propter ingens à terra intervallū, unde etiā pro remotissimis inter Planetas habentur, secundum recentem Simonis Marii observationem: quæ inter alia nova circa stellas, armatis observata oculis, scintillationem hanc pandit. Cæterum Lunæ Planetarum infirmæ, tutius lumen mutuatum adscribere, ratio simulac experientia nos jubet, siquidem Lunæ & Terræ mutuam illustrationem, quæ per reflectionem radiorum solis fit, variæ Lunæ Phases indicant, ut principale lumen à Sole esse, facile colligatur, quippe quod varietur accessu Lunæ ad Solem & recessu ejusdem à Sole. Quomodo autem hæc mutua illustratio fit, & quæ fit causa variarum phasium, Astrologi satis superque demonstrant. Nos saltem dicimus, potentiam recipiendi lumen à Sole mutuatum & à Terra reflectente radios, transmissum, corpori Lunari à DEO indi-

ditam esse, cujus materia partim ita condensata videtur, ut radios hos debiles minus transmittat, nec transmittere potest, quamvis interdum è diametro Soli obvertitur, quia ita à summo Opifice condita creditur. Suo verum lumine inter Planetas prævalet, ubi propria debilis & tenuis lux à Sole adjuvatur, quo facto illustrata tenebras noctis dispellere potis est; hinc enim Sacris literis lumen magnum salutatur, non sensu populari, ut quidam volunt, sed verissime: nam magnum est, licet alia hoc majora. Deinde respectivè; cum infinita astra sint Lunâ minora, quæ naturali non statim acie sunt notabilia. Jam ad Affectiones Lunæ, tum apparentes tum reales, paucis demonstrandas, pedem promovemus.

### CAPUT. III.

#### §. I.

**S**implicem hætenus habitum terminem de Materia Lunæ, consideratio formæ excipit, quæ in Luna duplex da-

datur, atque est substantialis vel accidentalis. Illam, naturam quandam *ἐνεργητικὴν* nominam⁹, quæ principium est affectionum & effectuum, à Creatore ipsi inditum, cujus ope se movet, lumen diffundit atque in interiora operatur. Causam hanc internam à posteriori formam quandam esse colligimus, cum in hoc universo rerum existentium formas exactè cognoscere impossibile sit. Hic nobis contradicunt complures Philosophi, qui omnium formarum rationem perfectam habere sibi persuadent, cum tamen investigando veritatem in meridiana luce hallucinentur, seu illi qui Corporibus cœlestibus formam adscribunt adstantem intelligentiam, cujus mentionem ne minimus quidem apex Sacræ paginæ tacit. Verum consultius videtur, rem per qualitates exponere, quarum beneficio operationes edunt, & à se invicem distinguuntur, ubi forma substantialis latet. Forma Lunæ accidentalis seu figura est rotunditas globosa, quâ omnes Planetas gaudere, visu deprehendimus, quoniam  
illi,

illi, stellis fixis longè propinquiores, figuram sphaericam ob oculos repræsentant, hæc verò non item, ob nimiam è Terris intercapedinem, quâ oculos spectantium ludunt, & superficiem planæ speciem cuius præbent, ratio hæc est; quia lineæ omnes, ab oculo ad corporis sphaerici longe remoti superficiem eductæ, æquales lineæ à perpendiculari centro visus, in centrum corporis globosi ductæ apparent. Et quamvis de stellis fixis nonnulli dubitant, tamen de Lunares est perspicua, cujus figuram rotundam fecimus, quam crebra ejusdem faciei variatio exactè testatur, quæ pro vario ad Solem adspectu, diversas induit figuras, & quam partem radii Solares illustrant, illa lumen ad nos diffundit forma sphaerica, sive Lunæ corpus sit plenum, sive in incremento & decremento constitutum, non tamen uno eodemque modo oculos spectantium subit; siquidè medietate solem oppositum respiciens undique non illuminatur, quò fit, ut nobis tantum pateat, quantum visionis linea abscindit. Atque

D

hæc

hæc affectio Lunæ vera equidem non est, sed apparens; nam Lunæ lux cre-  
scit & decrescit, non sui, sed nostri re-  
spectu.

§. II.

Affectione Corporis lunaris apparente,  
ut cæteras omittam, sic breviter de-  
lineatâ, transitum facimus ad Affectio-  
nes Reales, quæ tam positive, quam pri-  
vative nobis considerandæ veniunt, ut  
veritas circa substantiam Planetæ hujus  
investiganda majore radiet luce. Pri-  
mum itaque nobis facessit negotium dis-  
cursus de maculis in facie corporis lu-  
naris apparentibus, quæ vel uno eodem  
modo se habent, vel subitæ mutationi  
obnoxia sunt; illæ perennes & nulli non  
ævo cognitæ, hæ vero temporaneæ, cu-  
jusmodi sunt minutiores innumeræ. quæ  
in parte Lunæ modo plenæ, ope telesco-  
pii deprehenduntur; interim de illis tot  
varia variorum habentur Judicia, quæ  
animum legentis in diversas trahunt par-  
tes, quibuscum judicii sui præcipitan-  
tiam

tiã passim ostendunt. Plutarchus de hac re in erudito de facie in Lunæ orbe opusculo prolixè disquirit, ubi non modo figmenta Poëtica & aliorum falsas opiniones cumulat, verum etiam suam de hac re sententiam in lucem producit, faciemque Lunæ his indicat verbis: *Sicut nostra terra sinus habet quosdam magnos; ita censemus Lunam quoque profunditatibus & rupturis magnis esse apertam, aquam & aerem caliginosum continentibus.* Quam sententiam ratam tenuerunt Recentiores Philolophi, qui præmunitis oculis, insignem in superficie lunari partium diversitatem deprehenderunt, quæ colorem luminis imparem representans, claritatem & obscuritatem in facie Lunæ splendenti passim prodidit. Ex quo vario macularum aspectu, nonnulli rationis dictamen secuti, concluderunt: Maculas antiquas, quæ figuram, situm, colorem semper eundem servant, esse montium, vallium & nemorum terræ hujus imagines, quas Luna in facie suâ tanquam in speculo expressas, ad nos reflectit.

Verum adlatas hæcenus macularum rationes non magni facimus; siquidem luminare terrenum in rerum natura dari asseverare videntur, cum tamen Codex Sacer unicam Terram à DEO T. O. M. semel conditam esse nobis dicitur, perque illius divinam potentiam, tenebras à luce distinctas innuit. Idcirco quæ è diametro cum verbo DEI pugnant, illa veritati naturæ minus congrua esse agnoscimus. Dantur porò plurimæ de hac re dissidentes sententiæ, quas suis relinquimus auctori- bus; interim nos dicimus: Maculas has oriri ex inæquali lunaris globi densitate, cum lunæ corpus partim densum, partim rarum sit, sequitur necessariò, ut materia rarior in facie Lunæ maculas repræsentet, quas Vulgus instar faciei pingit & fingit. atque hinc partes densiores magis, rariores minus, lucere manifestum est; quippe cum materia densa plus luminis reflectere & ejaculari potis sit, quam minus densa, quia



quia hæc lumen imbibit, illa autem for-  
 tius reflectit. Maculæ itaque Lunæ a-  
 liud nihil sunt, quam rariores corporis  
 lunaris partes in quibus lumen obscu-  
 rius cernitur, quam in reliquis. Hic  
 Scal. nobis instat, dicendo: si Lunæ sub-  
 stantia partim rara, partim densa esset,  
 tum in novilunio lumen solis <sup>per</sup> partes ra-  
 riores transmitteret & pone appareret;  
 Verum ne vestigium quidem lucis in  
 illa eo tempore notatur. Adhæc respon-  
 detur: causa quo minus illaplum lumen  
 totum corpus penetret, & in parte op-  
 posita se nobis conspiciendum præber,  
 est corporis vasti profunditas, partium-  
 que quoad densitatem & raritatem con-  
 fusa inæqualitas, idque vel inde liquet,  
 quod radii solares, rariores Lunæ par-  
 tes aliquo usque penetrent, dum ab oc-  
 currente densiore parte repellantur.  
 Hisce jam contenti, Causam hic ulterius  
 non inquirimus; cum tædioso verborum  
 strepitu res evidentior non evadit, cujus  
 natura DEO optimè nota est.

**C**onsiderationem motus Lunaris præmittendam esse Eclipsi Lunari hic operæ pretium duximus, quo causa obscurationis facilius innotesceret. Duplicem equidem Lunæ adscribimus motum, Naturalem & Proprium; Prior ipsi cum cæteris stellis communis est, diciturque in genere passio propria, qua ab interno principio in cælo localiter & libere movetur ab ortu in occasum; Posterior, quo annum Lunarem, vulgo mensem, absolvit, & dicitur illud tempus, inera quod Cæli ambitum percurrit; tunc motu velocissimo inter planetas emetitur Luna 17 diebus omne spatium Zodiaci, secundum ejus longitudinem & latitudinem; atque fit etiam hic motus ab ortu ad occasum, cum tamen singulis diebus ortus puncta mutat per universum orbem; ita ut post Vicefimum septimum diem in eodem puncto demum oriatur, unde ante septem dies cursum occæpit continuare; unde apparenter ab occasu in ortum retrogredi videtur, quod ta-

men revera fieri nonnulli existimant, qui duplicem unius corporis motum faciunt; alterum à primo mobili venientem, quo ab ortu in occasum fertur. Alterum dicunt esse proprium, quo ab occasu in ortum cursum tendit. Quod figmentum summa absurditate vult innuere; in uno eodemque corpore simplici, eodem tempore duos motus & quidem contrarios dari, cum Cælum omnis contrarietatis sit expers. Secundum Latitudinem Zodiaci movetur Luna æque ac cæteri Planetæ, excepto Sole, recedendo ab Ecliptica, & jam in Zodiaco ad partem septentrionalem, jam meridionalem pergat. Causam hujus motus, excepto DEO, non extra sed in Luna dari absque omni dubio statuimus, cum enim omnes stellæ eâ propensione à DEO in Creatione instructæ sint, ut se naturaliter moveant; Quâpropter Sacra pagina sermonem illarum motus passim facit ceu patet Esai. 38. v. 8. Sol DEI jussu decem gradibus dicitur retrogressus. Item tanquã sponsus è thalamo suo prodi-

dire dicitur Psal. 19. v. 6. 7. De Lunæ motu narrat Elajas cap 13 v. 10 prolixiores in affectione positiva exponenda non erimus, ut & paucis privativam pertinere liceat.

§. IV.

**M**ortalibus equidem constat ex historia Creationis à Mose Amanuensi DEI in sacro codice tradita, duo Luminaria magna DEUM unitrinum eum in finem condidisse, ut tenebras depellerent; Verum quis non novit, quod & ipsis obscuraciones & defectus accidant? quæ uno nomine Eclipses dicuntur; & aliud nihil sunt, quam Luminis Solis vel Lunæ obscuratio vel privatio in terris observata. Solis Eclipsis apparens saltem est; quippe cujus facies lucidissima nunquam obscuratur respectu sui, sed nostri, si quando lumen ipsius Luna suo interventu nobis suffuratur, de qua hic non est nobis sermo, sed de Lunari, cujus proprietas ab omnibus recepta definitione sic ostenditur. *Eclipsis Luna est defectus luminis solaris in Luna, qua fit interposita*

*terre e' diametrali amborum luminarium op-  
 positione.* In data definitione liquido dis-  
 palefcit, etiam Eclipses Lunares con-  
 sistere in privatione luminis mutuatitii.  
 Lumen enim Lunæ nativum, per se ob-  
 scurius, terras illustrare nequit, nisi à sole  
 mutuatum quoque accedat, atque ad  
 hæc interiora denuo aliquid Luminis  
 reflectat: Verum cum Luna incurrit in  
 umbram terræ, sita in diametrali opposi-  
 tione ad solem, ob minorem sui quan-  
 titatem, tenebris hemisphærium Terræ  
 à sole aversum obruitur: Nam Terræ  
 corpus solidum & opacum, radios sola-  
 res transmittere nescium, umbram pro-  
 jicit connoidalem, cujus apex extremus  
 etiam extra palatium Mercurii se por-  
 rigit; atque hanc umbram sol in apageo  
 constitutus, seu à Terrâ remotior, am-  
 pliorem efficit, & Luna simul in perigeo  
 circelli sui, & Terris vicinior existens,  
 majori umbra occupatur, & Contra:  
 Remotio enim solis umbram terræ ex-  
 tendit, propinquitas attenuat. Luna Ter-  
 ræ propinqua, in crassiolem illabitur um-  
 bram, remotior in tenuiorem, hinc pro-

fluit divisio Eclipsis in Totalem & Partialem; Totalis est, cum Luna omni carens Latitudine in Ecliptica vel prope eam consistens, Soli opponitur & tota obscuratur, umbram Terræ ingressa. Eaque contingit vel cum mora, vel sine mora, pro umbræ latitudine. Eclipsis particularis est, cum Luna aliquam habens latitudinem, non tota, sed aliqua ejus pars deficit. Hujus Eclipsis omnes stellæ & planetæ superiores sunt immunes, propter distantiam à Terra, quam umbra in mucronem fastigiata, æquare non potest.

### CAPUT III.

#### §. I.

**H**acten<sup>9</sup> affectiones Lunæ, tum apparentes, tum veras exposuim<sup>9</sup>, sequitur Effectus, quem Luna habet vel per se, vel per accidens, Priori producit illa Tempus lunare, quod motu suo definit, vocaturq; annus Lunaris, qui vel simpliciter, vel composite consideratur. In simplici sensu Mensis à mensione dicitur in composito 12 menses synodicos continet

tinet, qui hoc ordine recensentur. Jan. Febr. Mart. Apr. Maj. Jun. Jul. Aug. Sept. Octobr. Novemb. Decemb. In derivatione harum vocum præit nobis Vendelin<sup>9</sup> hoc modo. Januarius dicitur â Jano Italiæ Rege, cui prim<sup>9</sup> hic mensis consecratus fuit, Aliis quod quasi Janua fit, per quam annum ingredimur. Februarius a Februo, vel februando: unde Februare id est purgare, expiare. Marti<sup>9</sup> â Marte. Maj<sup>9</sup> unde dicitur obscure liquet, potest tamen derivari â frondib<sup>9</sup>, quas *Maijen* germanicè appellamus. Junius â Junioribus. Julius â Julio Cæsare. dictus est olim Quintilis. Augustus ab Augusto Cæsare; olim Sextilis. September â 7 dictus; quia septimus est a Martio: cui syllaba ber adjicitur & sic Octob. Nov. Decemb. quia est decimus â Martio, jam transitum facimus ad influxum Lunæ, quo in his inferioribus agit.

§. II.

**P**riusquam in considerationē Effectus Lunæ peraccidens seu influxum descendimus, consultum duximus, ut dubium

bium, circa Corporum cœlestium acti-  
 vitatem, quam in hæc inferiora exerunt,  
 ex illorum falsa opinione exortum, ani-  
 mo excutiamus, qui stellis, excepta illu-  
 minandi facultate, omnem agendi vim  
 in hæc sublunaria denegant, & illas or-  
 natus tantum gratia in Cælo collocatas  
 esse, constanter asseverant. Quam affe-  
 ctionem ceu falsam, argumentis a ratio-  
 ne & Experientia petitis refelli posse spe-  
 ramus, dicendo; Quemadmodum sapien-  
 tissimus naturæ Auctor nihil in rerum  
 natura otiosum condidit; ita nec existi-  
 mandum est facilè hæc splendidissima  
 cœlestia corpora ἀπεργυατα facta fuisse;  
 sed potius concludendum, singulis suas  
 peculiare inditas esse vires, quibus va-  
 rios in hisce sublunarib⁹ effectus cierent,  
 mutationes inferrent, & hæc inferiora  
 diversimodè afficerent; quippe forma,  
 quam singulæ stellæ inter inanimata,  
 nobilissimam acceperunt, principium o-  
 perandi est, cujus imperio peculiare  
 effectus edunt. Adhæc, si Experienti-  
 am consulimus, testimonia ad rem fir-  
 man-



mandam haud spernenda subministrabit. Quis enim inficias ire audet? Solem sua luce efficaciter calorem in inferioribus excitare, qui illa fovet & fovendo in operationibus adjuvat, disponit atque promoveret: Insuper Vapores extrahendo & resolvendo corpora multa exsiccare, humanam cutem denigrare &c. Reliquarum stellarum operationes, quibus illae suo congressu, ortu & recessu, sub certo aspectu in his terrenis rebus omnium admiratione agunt, prolixam postularent recensitionem: Verum brevitate studiosi, his praemissis, saltem de Influxu Lunae nonnulla producemus.

### §. III.

Lunam circa haec inferiora operativam exercere virtutem, jam dudum experientiam evictum est. Quomodo autem ejus concursus fiat, hic porro videndum. Exerit itaque suum influxum in sublunaribus, tam ut causa universalis, quam particularis; priori modo, ex se simul indifferenter & indeterminatè ad plures effectus concurrat, & hoc modo

do, ad aliquam speciem certam determinata non est; posteriori modo, proximè & determinatè certum effectum producit. Atque sic dupliciter ad plures effectus concurrere intelligimus: Vel ut sola & prima Universalis causa, quæ ad omnia effecta concurrat, vel ut particularis ad multa tantum influit, & hac ratione astra rectè Causæ universales dici possunt, atq; tunc non absolute, in respectu ad DEUM, qui ut Causa universalis ad omnia concurrat, sed respectivè, ratione sublunarium particulariter & terminative agentium, causæ universales appellantur, nec tamen ita universales causæ statuuntur, ut cum omnibus sublunariis particulariter singulorum effecta eliciendo concurrant. Ignis namque sine influxu cœlesti calefacere potest, & pulverem pyrium sibi admotum accendere; interim cooperationem tantum stellarum inferiora agnoscunt, ceu plantæ germinantes, quæ calore solis foventur & adjuvantur ut vim vegetativam exercere incipiant. Obiter notandum, quod astra duplicem efficiant mutationem

nem, accidentalem sc. & substantialem; illa illuminationem & alterationem, hæc generationem & corruptionem involvit. Verum Lunæ, prout astrorum infimæ, vis agendi in inferiora peculiaris adscribitur; illâ quippe crescente, crescere dicuntur medullæ in ossibus, cerebella in capitibus, in corporibus humores; Luna autem decrecente, isthæc diminuuntur, & non levi afficiuntur detrimento. Insuper ligna in plenilunio decisa carie læduntur, & ad ædificia extruenda minus aptiora sunt; novilunio verò, arbores dejectæ cariem non facile sentiunt. Influxum Lunæ etiam agricolæ norunt, qui ejus ætatem in leguminibus observant; tempore interlunii gallinis ova supponere verat experientia; quod si fit, vel non excluduntur pulsi, vel imbecilliores fiunt. Observationes quoque frequentes docent, Lunam in hominibus peculiarem habere influxum; quippe quos in Lumine suo dormientes catharris vexat & gravedine capitis, nec non epilepsia laborantibus dolorem adauget. Hydropicis plerumque mortem accellerat. Lunam quoque efficere æstum Oceani reciprocum, eruditorum scripta passim testantur. Tot itaque experimentorum fuleris stabilitur sententia vulgo recepta, quæ Lunæ præ cæteris stellis vim humidandi singularem adscribit, ut illam refellere vix quis sanæ mentis attentet. Nam humores

in corporibus crassos & frigore quasi constrictos vi caloris resolvit, qui resoluti & tenuiores facti, accrescunt mole & per corpora magis magisque diffuunt; effectus itaque Lunæ accidentarius est humectatio, quæ pro subjecti constitutione calefacientis imperio succumbit. De calore Solis, non est dubium, quin etiam æque ac Luna omne frigore concretum dissolvat; discrimen tamen in hoc consistit, quod humor liquefactus ab abundante calore solis absumatur, sed a mediocri Lunæ foveatur, & sic ex accidenti Luna humectat modicè & sol desiccet. Demum varietatem tempestatum ex Phasibus seu coloribus Lunæ, quos subinde mutat, velat ex certo quodam Prognostico vulgus conjicere solet. Si quando splendens exorta, puro nitore fulsit, serenitatem portendit; si rubicunda, Ventos, si nigra, pluvias fieri prænuntiat. hinc versiculus omnium ore tritus habetur. *Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.* Quorum colorum variarum Causam nobis varia nubium dispositio suppeditat. Verùm cum nostro instituto prolixitas non convenit, obnixè rogo, ut Benevol. Lect. has meditationes vitio brevitatis atque levitatis laborantes, soliti favoris aurâ palliare velit. Jam de consilio Regii Psaltis, gloriam DEO Unitrino dicentes, claudimus allegatione ver-

borum Ps. 136. v. 7.

*Benedicite ei, qui fecit luminaria magna,  
Quoniam in æternum ejus misericordia.*

Ingenio virtutumque culturâ Eximie

DN. CAROLE FRINGS/  
Dissertationis hujus Author, Amice, ut  
probatissime, ita singulariter dilecte.

**Q**uid referam assiduas curas? quid mille lâ-  
bores?

Quamq; potis fueras insomnes ducere noctes,  
Maoniis pulcræ studiis operate Minervæ?

Conscia testatur cæptorum Hecate tua sola,  
( Si reliquos fugeret) tecum quid solus agebas,  
Cuncta quiete alta quando sopita silerent,  
Miratus facies Lunam mutare triformem,  
Et modo, distabant quæ cornua bina, coire,  
Mox meditata manu properas comittere chartæ,  
Et rutilo solitam Phæbo succedere Lunam  
Pieridum in medio, media, locas agmine, luce.  
Illa refert grates, jubet has tibi necesse laurum.

Gratulabundus quod de-  
buit, facere studuit

DAV. PETREJUS.

---

Ad eundem :

**C**oncinnis pariter verbis depromere vellem  
Suavis Amice tibi candida vota animi,  
Si modo se faciles sistant in vota Camæne  
Aureque si sonitum captat Apollo precum,  
Dum

Dum factum mentis sincera voce revelas  
Et strenuis fidem passibus ipse Sophis  
Te comitem præbes, tristes sub pectore versans  
Æstus, quos virtus viribus ipsa suis  
Reframat, varias nam in partes dividit illa  
Vires ingenii, cunctaque rite locat.  
Ad summū Numen nunc vota precantia mittā  
Ope levare suos tempore quoque velit.  
Hoc rogo, optati det commoda longa laboris  
Donec vitalis munia lucis agis.

PET. Beckman.

Nyh.

---

**P**andere dum fatagis, solidis rationibus,  
Erling/

Sicelidum soboles jam Patriæque decus  
Quid Luna lux, quid facies, quid motus & ille  
Phases tergemine, quid sibi cuncta velint  
Alteræ Luna velut docta Tu mente coruscas  
Clarior en Lunâ quum bene plena micat.  
Gratulor ergo tibi ex animo conamina tanta,  
Omnibus & votis mitia fata precor.

Sic Pereximium Dn. Respondentem &  
Patriotam honorare voluit,

MARTINUS COLLIANDER.

Helsingf. Nyland.

*In eundem:*

**U**I LUNÆ lucem pingis, Præceptor  
amande,  
Sic tua fulgebit gloria clara diu!

*Latius apposuit*

*MATH. L. WILSTADIUS.*

---

**S**incerum & intra claustra pectoris diu deli-  
tescentem in Te affectum, Præceptor peraman-  
de, prolixiori calamo testare minus e re duco-  
cum nemo Te vera sapientia semita insistere,  
certior sit; Id ipsum comprobat presens ma-  
teria, quam licet sublimem suscepisti defen-  
dendam, quæ quidem industria tua documen-  
tum adeo est certum, ut certius nec parentum  
quidem vota, nec cognatorum spes poscere po-  
tuissent quorum desideria felix jam propè sa-  
tiabit eventus. *DEUM* itaque *Ter. Opt. Max.*  
precibus sollicito, velit tua, fidelissime Præceptor,  
inehoata studia in posterum secundare, ut tan-  
dem exantlati iuventutis labores, senectuti  
iucunda pariant præmia.

Ita Præceptoris suo perfideli  
largiori animo quam calamo  
congratulari voluit.

**CHRISTIANUS PACCHALENIUS,**  
*C. F. Nylandus.*

The first part of the paper  
 is devoted to a general  
 introduction of the subject  
 and to a statement of the  
 objects of the present  
 investigation.

The second part of the paper  
 is devoted to a description  
 of the apparatus used in  
 the experiments, and to  
 a statement of the method  
 of observation. The third  
 part of the paper is  
 devoted to a description  
 of the results of the  
 experiments, and to a  
 statement of the conclusions  
 to which they have led.

The fourth part of the paper  
 is devoted to a discussion  
 of the results of the  
 experiments, and to a  
 statement of the conclusions  
 to which they have led.